



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De  
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1619**

Cap. XVIII. Vtrùm ius gentium aliquid præcipiat, vel prohibeat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

mur. Nobis igitur hæc etiam sententia non placet, primò, quia multa dicuntur esse de iure gentium, quæ non habent illam intrinsecam necessitatem, vt diuisio rerum, seruitus, & alia, quæ infra videbimus. Secundò ac præcipuè, quia ius gentium nec circa prima principia moralia, nec circa conclusiones, quæ ex illis necessario inferuntur, versari potest, quia omnia illa sub proprio iure naturali comprehenduntur, vt cap. 7. probatum est. Et confirmatur: nam omnia præcepta, quæ à Deo sunt in cordibus hominum scripta, pertinent ad ius naturale, vt sumitur ex Paulo ad Roman. 2. sed omnia illa, quæ euidenti ratione deducuntur ex principiis naturæ, sunt scripta in cordibus; ergo omnia pertinent ad ius naturæ. Et è conuerso præcepta iuris gentium ab hominibus introducta sunt per arbitrium, & consensum illorum; siue in tota hominum communitate; siue in maiori parte; ergo non possunt dici scripta in cordibus hominum ab auctore naturæ: ergo sunt iuris humani, & non naturalis. Quòd si de aliquibus præceptis iuris gentium hoc necessario fatendum est, vt ostendemus, non oportet ius gentium cum naturali confundere, nec propter solas illationes etiam plures ita vocare ius illud, quod simpliciter naturale est: nam discursus non excludit veram & naturalem necessitatem præcepti sic cogniti, & quod discursus fit per plures, vel pauciores illationes, magis, vel minus notas, valde accidentarium est.

9. Dicunt verò aliqui, ius naturale comprehendere conclusiones ita necessarias, vt nulla facta suppositione societatis humanæ, vel dependentis à voluntate humana, sequatur ex principiis naturæ euidenter, & hæc non spectare ad ius gentium: esse verò alias conclusiones, quæ sequuntur etiam ex principiis naturæ necessario, tamen non absolute, sed supposita humana societate, & consideratis aliquibus circumstantiis necessariis ad ipsius conseruationem, & præcepta, quæ circa huiusmodi conclusiones versantur, constituere ius gentium. Quod videtur posse sumi ex Diuo Thoma in 2. 2. loco allegato. Sed per hoc etiam non explicatur vera, & propria ratio, & distinctio iuris gentium à naturali. Nam multa sunt de iure naturali, quæ non obligant, nec locum habent, nisi aliqua suppositione facta, vt præceptum non furandi non habet locum, nisi facta diuisione bonorum, & dominiorum. Præceptum item parendi dominis non habet locum, nisi supposita seruitute: iniustitia etiam contractuum non habet locum, nisi ex suppositione commercij humani. Et ita sunt plura alia, quæ manifestè pertinent ad ius naturale: nam ita sunt per se honesta, vt contraria prohibeantur, quia mala, & non è contrario. Ratio etiam reddi potest, quia quod conclusio sequatur ex principiis naturæ ex suppositione talis, vel talis materiæ, aut status hominum, non variat modum legis, quæ subsistit ex intrinseca rei natura, & non ex voluntate humana, sed denotat solum distinctam materiam legis, v. g. lex reddendi promissum, & seruandi fidelitatem Deo, vel homini, naturalis est: & tamen non habet locum, nisi ex suppositione promissionis: sic etiam in materia de Simonia dicitur, vendere rem consecratam ab hominibus, contra ius naturale esse, licet supponat consecrationem humano iure introductam. Ergo licet conclusio sequatur ex suppositione, se tenente tantum ex parte materiæ præcepti, si illatio est euidens ex principiis per se notis, talis conclusio ad ius naturæ pertinet, non ad ius gentium. Ergo vt ius gentium à naturali distinguatur, necesse est, vt etiam supposita tali materia, non sequatur per euidenter consequentiam, sed per aliquam minus certam, ita vt arbitrium humanum, & moralis commoditas, potius quàm necessitas intercedat. Concludendum igitur cenfeo, ius gentium non præcipere aliquid tanquam ex se.

Suarez de Legib.

cessarium ad honestatē, nec prohibere aliquid, quod per se, & intrinsecè malum est, vel absolute, vel supposito tali statu, & conditione rerum, sed hæc omnia pertinere ad ius naturale, ac subinde in hoc sensu ius gentium non comprehendit sub iure naturali: nec etiam ab illo differre, quia fit proprium hominum: nā hoc etiam iuri naturali conuenit, vel maiori ex parte, vel etiam omnino, si de iure, & lege propriè loquendum est.

CAPVT XVIII.

An ius gentium aliquid præcipiat, vel prohibeat, aut potius solum concedat, vel permittat.

Propter ea, quæ superiori capite tractata sunt, Canon. lib. 1. Comment. iur. civil. capit. 6. numer. 1. quem refert, & sequitur Vasquez disput. 157. capite 3. existimauit, ius gentium prout à naturali distinguitur, non continere sub se præcepta, aut promissiones, sed solum concessiones quasdam, seu facultates, aut permissiones aliquid agendi, vel non agendi, non tantum impunè, sed etiam iustè & honestè: ita tamen vt contrarium non sit turpe, vel iniustum. Adduntq; vterius auctores huius sententiæ, ad ius gentium necessarium esse, vt conueniat humanæ naturæ non absolute spectatæ, sed vt iam constitutæ in ciuili communitate, quia multa sunt vtilia hominibus, vt in communitate viuentibus, quæ absolute non pertinent ad commodum naturæ secundum se. Illa ergo, quæ conceduntur hominibus in communitate viuentibus, propter communem vtilitatem, tantum honesta, & non tanquam necessaria ad honestatem, nec tanquam præcepta, dicunt esse de iure gentium. Nam si præcipiantur, erunt vel de iure naturali, si ex vi rationis præcipiantur: vel de iure ciuili, si præcipiantur ex humana voluntate potestatem habente, vt probant discursus facti capite superiori: ergo vt ius gentium possit esse distinctum, oportet vt sit concessiuum, non præceptiuum. Confirmatur hæc sententia auctoritate saltem negatiua D. Isidori, & Diui Thomæ. Nam Isidorus 7. Etymolog. cap. 4. & Isidor. 6. vbi dicit, ius naturale esse illud, quod est commune omnibus rationibus: ius autem gentium non definit, sed explicat tantum per quædam exempla, quæ concessionem tantum continent, non præcepta, vt postea videbimus. D. etiam Thomas solum dixit, ius gentium positum esse ab hominibus in societate viuentibus ad maiorem vtilitatem, quæ ex rationis discursu colligitur: non vero dixit esse positum per modum præcepti.

Hanc verò sententiam, vt verum fatear, non satis intelligo. Nam inquiri, an loquatur de iure, vt solum consistit in morali facultate vtendi, & non vtendi, vel de iure, vt significat legem, seu regulam rationis: siue propriè præcipientem, siue approbantem aliquid vt honestum. Prior sensus non est ad rem, vt ex dictis constat, nisi fortasse velint auctores illius sententiæ negare, dari aliquid ius gentium, quod sit vera lex, quod non declarant. Nec possunt rationem reddere cur admittant hoc membrum iuris gentium in iure, quòd fit facultas vtendi, & non in lege, & ex dicendis constabit esse eandem vtriusq; rationem. Si verò loquantur de iure, quod est vera lex, aut regula honestatis, faciliè etiam potest illa doctrina refutari.

Nam ostendo in primis, nullam esse maiorem rationem distinguendi ius gentium concessiuum à iure naturali, quàm ius præceptiuum. Quia in iure naturali multa sunt, quæ honestè fieri possunt ex vi legis naturalis, quæ non præcipiuntur, nec contraria prohibentur, & ita etiam dari potest ius naturale concessiuum, quale est ius ducendi vxorem, ius

Canon. Vasquez. Opinio ali- quorum esse ius gentium non esse præceptiuum, sed permissiuum tantum, & concessiuum aliquid agendi, vel è contra.

Isidor. D. Thom.

2. Excluditur opinatio.

3.

Sonn.

retinendi, & conseruandi propriam libertatem: hoc enim honestum est, & illud ius naturæ concedit, non præcipit. Et in hoc sensu solet distingui duplex ius naturæ, aliud positium, id est, præcipiens, aliud negatiuum, id est, non prohibens, vt videre licet in Couarru. regula, peccatum, 2. parte, §. 11. numer. 3. & supra tractando de immutabilitate legis naturalis, illam distinctionem explicauimus. Et ratio est, quia ratio naturalis non solum dicit, quid necessarium sit, sed etiam quid liceat. Quando ergo dicitur ius gentium dare facultatem honestè operandi aliquid, interrogo, an illa facultas, vt est iusta, & honesta, habeatur ex ipsa ratione naturali præcisè spectata, vel ex aliqua hominum consensione. Si primum dicatur, iam illud ius erit naturale, licet sit tantum concessiuum. Si verò dicatur secundum, vel procedunt rationes factæ, quod illud non sit ius gentium distinctum à civili, vel si eo non obstante, potest esse tale ius concessiuum distinctum à civili, & quasi medium inter naturale, & civile, eadem ratione poterit dari simile ius præceptiuum.

4. Responderi potest, illud ius haberi ex vi solius rationis naturalis; tamen non conuenire hominibus absolute spectatis, sed vt congregatis in aliqua societate humana, & ideo distingui à primario iure naturali tanquam secundarium, vocariq; ius gentium. Exemplis vñtatis in hac materia declarat: nam bellum v.g. dicitur esse de iure gentium, nō quia præcipiatur etiam supposito iusto titulo, sed quia conceditur tanquam honestum: hoc autem genus iuris supponit communitatem humanam, vt cōstat. Item diuisio agrorum, seu terrarum, ac sedium, & terminorum in communi dicitur esse de iure gentium, quæ manifeste supponit institutionem humanarum societatum, & illa supposita ex vi solius rationis naturalis omnia illa licent, licet simpliciter necessaria non sint. Sed contra hoc est primò, quia ipsamet gentium discretio, & regnorum diuisio est de iure gentium, vt dicitur in l. ex hac iure, ff. de iustitia, & iure, & tamen ante illam diuisionem nō supponitur aliquid præter statum naturalem hominum: ergo non semper ius gentium oritur ex illa suppositione, sed solum ex pura conditione naturali, qua homo est animal sociale, adiuncto naturali etiam principio, quod diuisio ciuitatum est magis accommodata ad hominum conseruationem. Secundò arguuntur, quia quod in huiusmodi rebus, aut iuribus supponantur societates hominum, non tollit, quin illud ius concessiuum naturale sit, quia illa suppositio solum prærequiritur, vt resulet materia talis iuris: regula autem ipsa rationis antea erat, & semper naturalis est. Probat, quia ius præceptiuum sepe etiam non habet materiam, in qua actu obliget, nisi supposita vita hominum in communitate, & societate, & nihilominus talia præcepta semper sunt iuris naturalis, vt supra probatum est, & dicti auctores etiam concedunt: ergo idem erit cum proportionem in iure concessiuo: nulla enim verisimilis ratio differentie assignari posse videtur.

L. ex hoc.

5. Deinde ostendo, non separari ius concessiuum ab omni iure præcipiente, vel prohibente, & in præsentem materia si vnum sit ius gentium, etiam alterum: vel si vnum est iuris naturalis, etiam aliud, & ita non subsistere distinctionem datam. Primum declaratur in primis exemplo priuilegij: nam eo ipso, quod vni conceditur, præcipitur aliis, ne vsum illius impediât, Et hac ratione explicabamus supra rationem legis in priuilegio: hoc autem eandem rationem habet in omni iure concessiuo. Secundò declaratur discurrendo per exempla iuris gentium, quæ Isidorus posuit. Primum est, sedium occupatio, hæc enim ita est licita vnicuique iure gentium, vel potius naturali, vt nemo iuste impedire possit alium, quamuis occupet sedem ab alio non præoccupatam, & ita illa concessio habet

Isidor.

annexum hoc præceptum. Secundum exemplum est, edificatio, tertium, munio, de quibus est eadem ratio. Nam repugnat aliquem habere liberam facultatem edificandi, vel muniendi terram, aut possessionem à se occupatam, & posse ab aliis iuste impediri, aut perturbari in vsum illius facultatis: ergo est necessaria cōnexio inter ius concessiuum, & præceptiuum. Quartum exemplum est, bella; in quo id euidentius constat. Nam in primis supponit præceptum prohibens aggressori tale bellum; ideo enim vni licet defensio, quia alter iniuste bellum aggreditur. Deinde respectu eius, qui se defendit, sepe tale ius non solum concedit facultatem, sed etiam præcipit vsum, præferim Principi, qui tenetur defendere rem publicam. Et idem est de aliis, qui tenentur defendere commune bonum, vel etiam interdum propriam vitam. Si autem bellum sit aggressiuum, eo ipso, quod vni licet contra alterum, huic est prohibita defensio, quia tenetur parere, & ius suum alteri reddere, vel iustam pœnam acceptare.

6. Quintum, & sextum exemplum sunt captiuitates, & seruitutes, in quibus etiam constat, si vni licet alterum in captiuitatem, vel seruitutem redigere, etiam cogendo illum; eo ipso teneri hunc ad parendum, & non resistendum, quia non potest esse bellum iustum ex vtraque parte. Septimum exemplum est, postliminia, de quo eadem cum proportionem est ratio: nam est ius, vel recuperandi libertatem amissam, vel redeundi ad priorem statum post exitum à liminibus captiuitatis; in hoc autem iure necessario includitur præceptum vel restituendi talem hominem in antiquum ius, vel non priuandi illum recuperato iure. Octauum exemplum est, fœdera pacis. Nonum, inducias. In quibus primò potest considerari facultas feriendi pacem, vel concedendi inducias, quæ sine dubio est res honesta de se, & sepe vtilis, vel necessaria, tamen cum hac facultate coniuncta est obligatio nō violandi pacis fœdera, neque nocendi hosti induciarum tempore. Decimū exemplum est, Legatorum non violandorum religio, quod aperte per modum præcepti fertur: in eo tamen distingui possunt illa duo, vnum est facultas mittendi Legatos ad alios Principes vel prouincias, aliud est præceptum, & obligatio seruandi immunitatem illorum. Vltimum denique exemplum est, connubia inter alienigenas prohibita, in quoniam sola permissio, sed præceptum aperte proponitur, & quia negatiuum est, vix in eo intelligitur aliquid per modum cōcessionis, quomodo autem in hoc exemplo locum habeat ius gentium, paulò inferius exponam.

7. Dicitur potest, esse verum sit, cum iure concessiuo semper coniungi aliquod præceptiuum, tamen sepe esse posse diuersorum ordinum: nam sepe posito iure ciuili concessiuo resultat ius naturale, vt posito iure concedente dominium media præscriptione, & acquisita præscriptione, resultat ius naturale prohibens accipere ab aliquo ipso inuito rem, quam præscripsit, & concessio priuilegij ab homine, vel humano iure eximente aliquem à solutione tributis, naturalis lex dicitur, non esse petendum. Sic ergo in dictis exemplis dici potest, permissionem, seu concessionem esse de iure gentium: præcepta verò inde resultantia esse de iure naturali præceptiuo.

8. Propter hanc obiectionem proposui secundam partem assertionis, scilicet, in præsentem materia hoc non habere locum. Nam in simili inductione ostendi potest, quod tam concessio, quam prohibitio ad alios resultans est de iure naturali, vel si aliqua earum est absolute de iure humano, potius hoc conueniat concessioni, qua facta obligatio inde resultans naturalis est. Primum aperte, vt credo, ostenditur in quatuor primis exemplis Isidoris, de sedium occupatione, edificatio, munio, ac defensio, ac defensio per iustum bellum: nam ius ad hæc omnia naturale est, id est, hæc omnia licita sunt iure naturæ: & eodem modo obligatio

gatio vnus ad non violandum tale ius alterius naturalis legis est. Solum vnus illarum facultati possit dici de iure gentium ratione constitutiōnis omnium gentium; at hoc ad factum pertinet, non ad legem. Idemque cum proportione dicendum est in §. 9. & 10. exemplis de pace, iudiciis, & legatis: nam illa omnia fundantur in pacto aliquo humano, in quo tam facultas contrahendi, quam obligationes fidelitatis, & iustitiæ, quæ ex fœdere, seu conuentione nascuntur, ad ius naturæ spectant. Solus vnus potest dici de iure gentium propter conuenientiã omnium gentium in vfu talium rerum in genere; veruntamen hic etiam vnus est effectus iuris, non ipsum ius, quia hoc ius non ex vfu, sed vnus ex iure est.

At verò in quinto, & sexto exemplo de captiuitate, & seruitute videtur aliquid introductum vfu hominum, quod non est immediatè de dictamine rationis naturalis, nimirum, quòd titulus acceptiōnis in bello iusto sit sufficiens ad detinendum alium etiam inuitum, & coactum, vel etiam ad acquirendum dominium vnus hominis in alium, & consequenter ad introducendum seruitutem in vno, respectu alterius. Nam lex sola naturalis hoc non præscribit, licet illud non veteri, supposita iustitiã belli. Determinatio ergo illius iuris est quasi lex quædam pœnalis vfu hominum introducta contra gerentes in iustum bellum: ponitur enim illis in pœnam, vt captiui, vel serui fiant, si vincantur. Hæc autem lex sic intellecta non est concessiua, sed magis directè est punitiua, & obligat reũ ad pœnam eadem proportione, quia aliæ leges pœnales ciuiles, de quibus infra lib. 5. dicturi sumus. Quasi vnusq; autem sit, quatenus de facto dat facultatem reducendi homines in captiuitatem, vel seruitutem, positiua est, & non ex sola vi, ac discursu rationis naturalis, etiam supposita infirmitate humanarum communitatum: ergo non pertinet ad ius gentium, quale ab illa sententiã describitur.

Præterea idem euidens est in octauo exemplo de postliminiis, in quo videtur esse plus de iure ciuili, quam de iure naturali, vel gentium: nam videtur esse illa quædam moderatio pœnæ captiuitatis, aut seruitutis, vel in vniuersum amissionis bonorũ, vel de prædationum hostium, quæ maximè in bellũ contingunt, quæ non est tam vniuersalis omnium gentium, sed iura ciuilia maximè de illa loquuntur. Et præterea eo modo quo talis moderatio intelligitur lege cõstituta, non est sola permissio, sed lex verè obligans ad sui obseruationem: non enim est minus obligatoria lex quæ moderatur aliquam pœnam, quam lex, quæ pœnam taxauit. Deniq; in vltimo exemplo clara est prohibitio, & non tantum permissio, ne fiant connubia cum alienigenis. Præterquã quòd neutro modo constat fuisse hoc ius, vel hunc vsum communem omnibus gentibus, sed videtur maximè propria consuetudo fidelis populi tam in lege veteri, quam nunc in noua: et ita illud potius est ius diuinũ, vel canonicum, & si aliquæ gentes id seruarunt, magis videtur pertinuisse ad ius ciuile illarum, quam gentium. Concludimus ergo non rectè distingui ius gentium à naturali, quia vnus concessiua tantum sit, & aliud præceptiua: nam vel verumque membrum in vtroque iure repetitur, vel si præceptum naturale est, etiam concessio illi cum proportione respondens, ex ipso iure naturali nascitur.

CAPVT XIX.

*Vtrum ius gentium distinguatur à naturali tanquam simpliciter positium humanum.*

1. **E**X hætenus dictis videtur concludi, ius gentium propriè dictum non comprehendit sub naturali, sed essentialiter ab illo differre, quia licet cum illo conueniat in multis, tamen in propria morali diffe-

rentia distinguuntur. Conueniunt quidem primò, quia vtrumque est aliquo modo commune omnibus hominibus, ex quo capite vtrumque potest gentium appellari, si in sola voce sistatur, quæ proprietates in iure naturali clara est, & ratione illi in *L. omnes populi*, ff. de iur. & iur. videbimus ius ipsum naturæ appellari ius gentium (quod in multis legibus obseruandum est) proprius verò appellatio illa tribuitur iuri, quod vfu gentium introductum est in §. 4. *Instit. de iur. nat.*, &c. Secundò conueniunt, quia sicut materia iuris gentium solum inter homines locum habet, ita etiam materia iuris naturalis est propria hominum vel omnino, vel magna ex parte, vt ex dictis in capit. 17. sufficienter constare potest. Et ideo multa exempla, quæ à Iuristis ponuntur sub iure gentium solum ratione huius conditionis, solo nomine sunt iuris gentium propriè dicti: nam re vera sunt iuris naturalis, vt religio ad Deum, honor ad parentes, pietas in patriam, quæ habentur in leg. 2. & 3. de iustit. & iur. merito autè illa omisit Imperat. *Instit. de iur. nat.* Similia sunt alia, quæ ponit *Idor.* si in rigore sumantur, vt seruari pacis fœdera, & iudicia, & immunitatem legatorum, & similia. Quo autem sensu illa intellecta fuerint ab *Idoro*, infra dicemus. Tertio conueniunt ius gentium, & naturale, quod in vtroque sunt præcepta, prohibitiones, atq; etiam concessiones, seu permissiones, vt cap. 18. satis declaratum est.

Differunt autem primò, ac præcipuè ius gentium à iure naturali. Quia quatenus continet præcepta affirmatiua, non infert necessitatem rei præceptæ ex sola rei natura per euidentiã illationem ex principiis naturalibus, quia quidquid huiusmodi est, naturale est, vt ostendimus. Vnde necesse est, vt aliunde oriatur talis necessitas. Et simili modo præcepta negatiua iuris gentium non prohibent aliquid, quia per se malum sit: nam hoc etiam est mere naturale: vnde ex parte humanæ rationis non est ius gentium tantum ostensiuum malitiæ, sed constitutiuum: itaque non prohibet mala, quia mala sunt, sed prohibendo facit esse mala. Hæc autem sunt propriæ, & quasi essentialia differentia legis: ergo ita differunt ius gentium, & naturale. Secundò consequenter differunt, quia ius gentium non potest esse tam immutabile, sicut naturale, quia immutabilitas ex necessitate oritur: ergo quod non est æquè necessarium, non potest esse æquè immutabile, vt in capit. sequenti latius declarabitur. Tertio hinc fit, vt etiam in his, in quibus hæc iura conuenire videntur, non habeant omnimodam similitudinem. Nam in vniuersalitate, & communitate ad omnes gentes naturale ius omnib; est commune, solumque per errorem potest alicubi non seruari: ius autem gentium non semper omnibus, sed regulariter, & fere omnibus commune est, vt *Idor.* loquitur. Vnde sine vilo errore potest alicubi non seruari quod apud alios de iure gentium esse censetur. Item licet ius gentium regulariter versetur in materia propria hominum, aliquando potest aliquid disponere in materia communi brutis animalib; vt in permitendo vago concubitu, seu fornicatione, vel in repellenda vi, quatenus aliquo modo per ius gentium foveri, aut determinari potest. Est ergo ius gentium simpliciter diuersum à naturali, præsertim ratione primi discriminis.

Vnde tandem concludi videtur, ius gentium simpliciter esse humanum, ac positium. Hæc assertio potest sumi ex *D. Thoma* q. 95. art. 4. vbi absolute ius positium diuidit in gentium, & ciuile, & vtrumque dicit esse humanum ius derivatum à naturali. Potest tamen in his terminis esse aliqua equiuocatio, & ideo tollenda est, & verus *D. Thomæ* sensus explicandus. Potest enim lex humana interdum vocari, non ex auctore, sed ex materia; quia versatur circa res humanas, in qua significatione ius ipsum naturale humanum est, quia illo humanum gubernatur, & humanæ actiones diriguntur. Et hoc modo videtur sumplisse

*ditur sub naturali*  
*In quo conueniunt ius gentium cum naturali.*  
*L. omnes populi.*

2. *In quo præcipue differunt ius gentium à naturali.*

3. *Ius gentium simpliciter positium humanum.*

*D. Thom.*

